Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8188
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



iacob funiculꝰ hereditatis eius Inuenit eum
in terra deserta: in loco horroris et vaste solitudinis
Circumduxit eum et docuit: et custodiuit quasi pupil
lam oculi sui Sicut aquila prouocans ad volandum pul
los suos et super eos volitans Expandit alas
suas et assumpsit eum: atque portauit in humeris suis
Dominus solꝰ dux eiꝰ fuit et non erat cum eo deus ali
enus Constituit eum super excelsam terram: ut come
deret fructꝰ agrorum Ut suggeret mel de petra
oleumque de saxo durissimo Butirum de armento et
lac de ouibꝰ: cum adipe agnorum et arietum filiorum
basan Et hircos cum medulla tritici: et sanguinem
vue biberet meracissimum Incrassatꝰ est dilec
tꝰ et recalcitrauit: incrassatꝰ impinguatꝰ dila
tatꝰ Dereliquit deum factorem suum: et recessit a deo
salutari suo Prouocauerunt eum in dijs alienis: et
in abhominacionibꝰ ad iracundiam concitauerunt Im
molauerunt demonijs et non deo: dijs quos igno
rabant Noui recentesque venerunt: quos non colu
erunt patres eorum Deum qui te genuit dereliquisti
et oblitꝰ es dominum creatoris tui Vidit dominus et ad
iracundiam concitatꝰ est: quia prouocauerunt eum filij
sui et filie Et ait abscondam faciem meam ab eis:
et considerabo nouissima eorum Generacio enim
peruersa est: et infideles filij Ipsi me prouocauerunt
in eo qui non erat deus: et irritauerunt in vani
tatibꝰ suis Et ego prouocabo eos in eo qui
non est populus: et in gente stulta irritabo illos
Ignis succensꝰ est in furore meo: et ardebit
vsque ad inferni nouissima Deuorabitque terram